DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

SITI

QUAM

NUMINE DIVINO FAVENTE

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ILLUSTRI ACADEMIA BASILEENSI

PRO

SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS ATQUE

PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

Ad D. 3. Sept. Ann. M D CC LXVI.

H. L. Q. S.

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI


SUBJICIT

JOHANNES MARTIN

HELVET. GLARONENS.

Typis J. HENR. DECKERI, Acad. Typogr.

DEO, PATRIÆ, PATRONIS ET AMICIS.



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA DE SITI.

§ I.

MEdicorum officium est cibi potusque salubris ac noxii discrimen, immo totius victus, quam Græci diætam vocant, rationem docere, ut homines sani juxta ac ægroti opportuno tempore in variis suis circumstantiis, maxime conducibili quantitate & qualitate alimenti atque potus uti sciant. Vehementer enim, ut latiniss. CELSUS (a) ait, nocet, quoties in ejus, quod assumitur, vel tempore, vel modo, vel genere peccatur. Natura equidem homini impertivit fidos custodes, sive sensus, quorum unus consistit in appetitu, aviditate cibi, seu fame; alter in desiderio potus, sive siti & tertius in satietate, seu ex-

(a) Libr. de Medicin. 2, cap. 16.

expletione utriusque. Duo priores igitur indicant, sive definiunt tempus edendi & bibendi, tertius vero copiam cibi potusve docet. Sat enim commedit, qui se sentit cibo repletum & non plus appetit. Satis quoque bibit, qui restituta ori, faucibus, æsophago & ventriculo debita humiditate non ultra sitit. At hi sensus non solum in plurimis morbis, sed sæpe etiam in ipsa sanitate, de ordine suo ac modo deflexi, sui vel mitigationem vel mutationem, sicut alia quoque symptomata urgentia, indicant. Ad rem itaque pertinet omnium eorum proprietates & phænomena nosse. Ex quibus vero non nisi sitis indolem, causas & remedia, ea, qua potero, perspicuitate, in hoc specimine inaugurali medico exquirere mihi propositum est. Insigne ægris in plurimis morbis addit lenimen, qui nimiam eorum sitim levare potest.

§. II.

Sitis: gr. Δίψα est sensatio plus minusve molesta siccitatis, aut glutinositatis linguæ, oris, faucium, œsophagi & ventriculi, cum desiderio potus, sive appetitu bibendi liquidum diluens, utplurimum frigidum potius, quam calidum, sitim restinguens. Clar. J. FERNELIUS sitim esse dicit desiderium humidi frigidique (b). Secundum Celeb. Fr. HOFFMANNUM & alios sitis est appetitus liquidorum. Alias sitis quoque sumitur pro ingenti rei cujuscunque cupiditate. Ita in Evangelio Salvator noster adorandus beatos pronunciat homines, qui esuriunt sitiuntque justitiam &c. (c) Exempla plura ex script. prof. allegantur in Rob. STEPHANI Thesaur. Ling. lat. Præterea sitis etiam adscribitur corporibus inanimis; quando e. g. terra, arbores, plantæ &c. aridæ sitire dicuntur. Sed hac siti non ero solicitus.

§. III.

(b) Univ. Medic. Libr. VI. C. XII. (c) Matth. c. V.

§. III.

Sitis ſenſu medico acceptæ perpetua varietas obſervatur, quæ a diverſitate regionum, anni temporis & tempeſtatis, ſexûs, ætatis, temperamenti, & diſpoſitionis hæreditariæ, diætæ & conſuetudinis, vel etiam aliis cauſis ſingularibus proficiſcitur. In diverſis autem regionibus magis vel minus ſiticuloſis, homines cæteris paribus, vario gradu ſitientes diverſa appetunt liquidorum ſive potus genera. Omnium antiquiſſima probabiliter fuere aqua, lac & fortè, quæ ex lacte præparantur, ejus ſerum, aut lac ebutyratum (*). Vinum poſtea, cereviſia & alia plura paulatim introducta ſunt. Quod ſi igitur in Islandia, Grenlandia aliisque terris valdè frigidis homines alia ſitiunt, quam Galli, Itali, Hiſpani & ſimiles alii in climate calido habitantes populi, ſitis potusque diſcrimen in genere ab ipſis plagis, diæta & conſuetudine diſcrepantibus pendere videtur. Hinc homines nuſquam non diverſis ac variis potus generibus ſitim depellere ſolent, vel eodem quidem genere ſed nunc frigido, nunc tepido aut calido. Alpicolæ e. g. noſtri ſitientes aqua, lacte, ſero lactis & lacte ebutyrato longè magis delectantur, quam ullo alio potu, quia a teneris annis huic aſſueti ſunt. In tractu Abbatiſcellano, in Turgovia & alibi multum amant pyracium & pomacium, potum nempe ex pomis aut pyris confectum. Sinenſes multum levare ſitim infuſo Thee Bontii calido relationes itinerariæ perhibent. Multis in regionibus vinum aut cereviſia in potu adhibetur. Alibi non niſi aqua potum ordinarium conſtituit. Et ſic plura alia potûs genera ſimplicia & compoſita, multis in locis haberi poſſunt,

 quibus

(*) Vid. HERM. CONRING. de hab. corp. Germ. ant. & nov. cauſ. cum annot. S. Phil. BURGGR. not. 51. ubi & de vin. & cerev. agitur.

quibus homines vel ſimpliciter ſitim reſtinguere, vel ſimul gulæ ſuavi quodam liquore inſervire ſolent. FR. ERN. BRUCKMANN catalogum omnium potûs generum edidit. Helmſt. 1722. in quo ea pro lubitu legi poſſunt.

§. IV.

Anni quoque tempus & tempeſtas varia ſitim majorem, vel minorem producens efficit, ut homines ad hæc vel illa potionum genera confugiant, prout voluptas, patrii mores, aut conſuetudo & experientia unum, aut alterum genus palato & gulæ maxime ſuadent, aut etiam prout hæc vel alia in quaque regione haberi poſſunt. Ex quibus divites accepta quæque eligentes, cæteris paribus, non melius habent, quam pauperes ordinario ſola aqua contenti. Igitur qui æſtivo tempore multis in locis variis julapiis, emulſionibus, potu ex aqua, vino, ſucco & cortice citri cum ſaccharo parato, hyberno vero tempore, aut in regionibus frigidis potu ex ſpiritu arac, aqua, cortice & ſucco citri & ſaccharo, aliisque ſpirituoſis, aut ubique fere & omni tempore infuſo Thee Indorum; Coffee, Succolat. &c. utuntur, nonne potius, aut æque voluptatis, quam ſitis & neceſſitatis gratia id faciunt. De potu, ob varietatem temporum CELSUS (d) ſalubrem habet regulam: Tempus, inquit, quoque anni conſiderare oportet; Hieme plus eſſe convenit; minus ſed meracius bibere. Æſtate vero & potione & cibo ſæpius corpus æget. Aptiſſima autem eſt potio quam dilutiſſima, ut & ſitim tollat, nec corpus incendat.

§. V.

(d) Libr. 1. cap. 3.

§. V.

A dispositione hæreditaria non tantum varias corporis conditiones & morbos, sed etiam animi varias propensiones & affectiones proficisci, experientia & observationes omni ævo docuere. Videtur hoc ex eo, quod HORATIUS (e) olim jam cecinit, colligi posse:

Fortes creantur fortibus & bonis.
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Hauriunt & bibunt hinc sæpius nati & natæ nunc bonos, nunc pravos paternos atque maternos mores. Integras passim cernimus familias siticulosas & bibulas & huic ilive potus generi deditas. Gentem Germanorum antiquam bibulam ac temulentiæ deditam fuisse TACITUS & alii asseruere. Sed eos Cel. THOMASIUS docte & solide refutavit (f).

§. VI.

In temperamento calido & sicco, cæteris paribus, homines magis siticulosi, quam in humido & frigido. Copia major potus igitur istis, minor his conducit. Clariss. GORTER (g) dicit, pituitosos, frigidos, cacochymicos & hydropicos non sitire ob humidi in corpore abuntantiam. Attamen sæpe etiam in hisce lympha nimis viscida & glutinosa, aut alio modo corrupta sitim producere valet naturali majorem.

§. VII.

(e) Carm. h. IV. od. IV. (f) HERM. CONR. de Gab. Germ. hot. 39. (g) Exercitat. IV. de siti. p. m. 39.

§. VII.

Sexus diverſitas per ſe nullum, aut parvum diſcrimen ſitis & potus faceret, ni a teneris annis ubique fere diæta & conſuetudo diverſa accederent. Utique vero in ætate diverſa ſitis varia quantitatem & qualitatem potus variam poſtulat. Infantes ad ſitim levandam in pleriſque nobis notis regionibus, neque vinum, neque cereviſiam, aut alia ſimilia ſpirituoſa pro potu admittunt, ſed aquam, lac & potus lacteos, qui ad ſuam naturam maxime accommodati ſunt. Paulatim dein aliorum liquidorum copiam faciunt ætates inſequentes cum cæteris circumſtantiis. Ingens quoque varietas ſitis pendet a diæta & conſuetudine varia. In his namque homines utuntur victu modo calefac. modo refrig. nunc humidante, nunc ſiccante; mox exercit. corp. mox quiete &c. quæ non poſſunt non ſitim variam producere, ut infra ſitis ætiologia docebit. At quis hac in re poſſet facile omnes varietates nusquam non obſervabiles compendio complecti & argumentum hoc penitus exhaurire.

§. VIII.

Dividi autem poteſt ſitis in naturalem ſive ſanam & præternaturalem ſ. morboſam. Illa etiam in nonnullis morbis ſubſiſtit, in quibus ſcilicet humiditas oris, linguæ, faucium &c. non tollitur, aut corrumpitur, uti e. g. in vulneribus, contuſ. ſine febre, in catarrh. frig. ictero non febrili aliisque pluribus obſervatur. Hæc vero in ſanitate locum habere nequit. Clariſſ. L. RIVERIUS in ſiti morboſa porro diſtinguit idiopathicam a ſympathica. (h) Sed hæc diſtinctio non videtur neceſſaria eſſe. Melius dividitur in ſitim nimiam;

natu-

(h) Comp. med. pract. libr. IX. c. IV.

naturali minorem aut deficientem f. adipſiam & depravatam. In utroque ſitis ſtatu ; naturali & præternaturali, pro variis ſupra jam commemoratis circumſtantiis ; nec non pro variis quoque cauſis mox recenſendis, varii quoque omni tempore & loco obſervantur ejus gradus. Nonne, qui bene valent, calido temperamento ſunt & multum laborant, præcipue in calido loco, longe magis ſitiunt cæteris paribus, frigidis, otioſis & in locis minus calidis verſantibus. Igitur etiam plus bibere neceſſe habent. Ipſa enim natura hoc exigit, ut vita ac ſanitas conſervetur. In morbis acutis febril. inflammatoriis ſiti homines cruciantur fere inexplebili. In aliis minus febril. & non inflamm. minus quoque vehemens ſitis & in quibusdam caſibus naturali vix major obſervatur. Et ſic perpetua ejus varietas, in ſanitate juxta ac in morbis occurrit.

§. IX.

Sitis igitur docet tempus, quo potus corpori eſt neceſſarius & ſimul quantitatem ejus ſalubrem. Ducem hunc & monitorem fidum, ſi mortales nati in diæta, omni tempore & loco ſequerentur, non ita frequenter & facile in exceſſu potus multiplic. peccarent, aut extra tempus opportunum potationibus vacarent, verum potius temperantiæ ac ſobrietati ſtuderent. Ad hanc enim virtutem nos hortantur Religio & ſana ratio. Unde, ſicut in aliis rebus, ita quoque in hac aurea iſta antiquorum valet regula: Omne nimium naturæ eſt inimicum, adeoque ſedulo fugiendum. Scitè propterea HIPPOCRATES (i) dixit: Non ſatietas, non fames, neque aliud quicquam, quod modum naturæ exceſſerit, bonum. Supervacaneum foret, omnia argumenta refellere, quibus nonnulli conantur defendere, aliqualem exceſſum potus, præcipue vini ſubinde

B factum

(i) Aphor. part. I. aph. II.

factum non esse noxium. Duo eorum tantum strictim attingam, quae rationibus medicis innixa sunt. Primum eorum ex Sacris literis allegatur, ubi legitur vinum cor hominis exhilarare; quod utique certissimum, sed duntaxat de ejus moderato usu intelligendum est. Nimia namque vini ingestio est abusus doni Dei, adeoque lege vetita. Docet quoque experientia quotidiana, vino madidos saepius morosos esse & facile concitare rixas, ob nimis exagitatos, aut turbatos sanguinis & spirituum animalium motus. Innumera alia sunt potûs juxta ac alimenti genera, quorum usus moderatus valde proficuus, abusus vero noxius deprehenditur. Alterum argumentum multi autumant elucere ex praecepto isto diaetetico A. C. CELSI, quod in ejus de Medicina libr. I. cap. I. legitur & ita habet: Prodest etiam interdum in convictu esse, interdum ab eo se retrahere; modo plus justo, modo non amplius assumere &c. Tenendum autem est, nobilem hunc Medicum olim popularibus suis, hac regula, uti ex antecedentibus & insequentibus ejus verbis colligi potest, non intemperantiam cibi & potus, sed duntaxat variam diaetam, iis maxime utilem, qui non semper in eadem regione vivere, aut eadem victus quantitate & qualitate gaudere possunt, commendare voluisse. Qui enim assueti sunt nunc in penuria, nunc in omnium rerum abundantia vivere, non facile laeduntur, cum vel necessitas unius, vel occasio alterius inciderit. Romanis perpetuis bellis, in omni terrae angulo & climate, implicatis hoc praeceptum imprimis conducibile fuisse videtur. At potest aliquis varia uti diaeta & tamen fugere excessum in usu cujuscunque rei. Quamobrem scienter SENECA dixit (k): Non cibus nobis, non humor, non vigilia, non somnus sine mensura quadam salubria sunt. At quid opus est multis? supremus legislator Deus adorandus,

(k) Natur. Quaest. libr. VI. c. II.

randus, in ſacris literis promiſit ſobriis ſanitatem & vitam longævam. Contra vero ebrii, ſecundum S. Apoſtoli Pauli effatum (l) divinum regnum non obtinebunt. Nulla igitur neceſſitas eſt, quæ hominem jubet plus juſto eſſe & bibere, quod eſt contra naturam & ſemper animo & corpori cito vel tarde nocet. Aliter ſe res habet cum fame, inedia & ſiti, quas homines in quibusdam temporum & vitæ circumſtantiis evitare nequeunt; uti in annonæ gravitate pauperes; iter facientes per regiones ſteriles, aut per mare victu paulatim deficiente &c. Ergo qui uti ſcit cibo & potu, ſomno & vigilia, animi & corporis exercitatione & quiete, ei bona, illi, qui non utitur recte, mala. At homines, uti SOLON dixit, nequeunt ſatietatem capere præſentemque victus jucunditatem moderare in tranquillitate. Satietas autem, ut alibi legitur, injuriam parit, ſi multæ affluant opes. Sed veniamus nunc ad ætiologiam ſitis, ſive declarationem cauſarum ejus in ſanis juxta atque in ægrotis.

§. X.

Cauſa proxima ſitis ſemper eſt major minorve defectus humiditatis naturalis, adeoque ſiccitas labiorum, buccarum linguæ, palati, faucium, æſophagi & ventriculi. Qua præſente nervuli harum partium ſingulari modo afficiuntur & Naturæ inſtinctu in animo naſcitur deſiderium potus. Celeberr. HALLERUS (m), cauſam ſitis ita explicat: Quam primum inquit, hæ partes, valde ſenſiles & naturaliter ſuis mucoſis & ſalivoſis humoribus perpetuo humectatæ ſiccantur ex defectu ſecretionis novæ humorum ſimilium, vel a ſalibus muriaticis, alcaleſcentibus ibi hærentibus, oritur ſenſus ſitis &c. Clariſſ. GORTER

(l) Ep. ad Cor. I. c. VI. & Gal. c. V.

(m) Pr. lin. Phyſiol. cap. XXI. §. DLXXXIII.

TER loc. supr. jam allegat. quoque ait, sitim ex humiditatis naturali defectu concitari. Sitis in sanitate minus molesta, quam in morbis, appetitus cibi instar, per intervalla temp. naturali modo recurrit & potu conveniente sicut appetitio cibo facile sedatur. Sitis autem morbosa persistens est, magis urget & potu non omnino restingui potest, quamdiu morbus in vigore est. A densitate sanguinis inflammatoria, in morbis acutis, sitis utplurimum inexplebilis ægros excruciat, si mens non laborat, quæ causa cito vitam tolleret, ni continuo potionibus necessariis infringeretur. Non multo minor sitis sæpe in acrimonia biliosa, alcalina &c. observatur. Plurimum igitur interest causas sitis omnes rite cognoscere. Neque enim, scienter dixit CELSUS (n) credunt, posse eum scire, quomodo morbos curare conveniat, qui, unde hi sint, ignoret.

§. XI.

Causæ defectus humiditatis naturalis in organis sitis, plures admodum sunt, procatarcticæ, prædisponentes & remotæ, internæ & externæ. Ad remotas internas pertinere videntur temperamentum calidum & siccum, sive colericum & sanguineum, dispositio hæreditaria, proclivitas in morbos acutos & si quæ aliæ. Inter causas procatarcticas nunc externas, nunc internas numerantur omnia, quæ ingesta corpori, vel extus applicata, vel intus facta, humidum necessarium & naturale partium supra nominatarum, vel & reliqui corporis, nimis dissipant, aut densum, glutinosum, aut acre reddunt. Uti sunt aër æstuans in regionibus valde calidis, æstivo tempore & tempestate valde calida, in hypocaustis nimis calidis, officinis fuso-

(n) In præf. libr. de medic.

fuſoriis; aër pulverulentus in molendinis, piſtrinis, lapidicinis, horreis aut ubi frumentum agitatur ac depuratur; Balnea quoque calida, laconica, epithemata varia calefacientia, ſtimulantia; frictiones fortiores, exuſtiones &c. ordinariò ſitim multum augent. Ex ingeſtis alimenta, potus, medicamenta acria, multum ſalita, aromatica, oleoſa rancida, ſpirituoſa, valde dulcia &c. frequentiſſimæ ſunt ſitis cauſæ. Ipſa etiam venena ſemper præter cætera ſymptomata ſeviſſima, ſummam quoque excitare ſolent ſitim. Inter cauſas ſitis porro reperimus vigiliam nimiam, corporis & membrorum exercitationem & laborem validum, adeoque equitationem, vectionem, natationem, ſaltationem, curſum, aſcenſionem per aclivia loca, luctationes & ludorum varia genera, cantum, clamorem, ſermocinationem, concionem & orationem longam, inſtrumentorum muſicorum variorum inflationem aut agitationem &c. Evacuatio quævis nimia per purgantia, vomitoria, ſudorifera, diuretica, ſalivantia &c. ſitis cauſa morboſa eſſe ſolet, vel ab internis cauſis in febribus acutis, malignis aliisque morbis, diarrhæa colliquativa, vomitusnimius, diabetes, ſudor anglicus &c. Lactatio nimia quoque aliquando ſitis cauſa evadit. A parte animi haud raro ira & excandeſcentia vehemens ſitim excitare vel augere obſervantur. Ex hisce nunc facile intelligitur: Quare molitores, trituratores, balneatores, agricolæ aliique laborantes, iter facientes præcipue in locis calidis, æſtivo tempore tantopere ſitiant? Quare nonnunquam meſſores a calore & ſiti fere defetiſcantur? Cur a paſtu ciborum nimio ſale & aromate conditorum, aut nimis dulcium & glutinoſorum; vel a potu vini generoſi nimis ſpirituoſi, vel ſimilis cereviſiæ aliorumque liquorum inebriantium multa ſitis? Diſcrimen ſitis, ab hisce cauſis productæ proficiſcitur ab earum intenſitate varia, nec non a reliquis circumſtantiis, ſupra jam breviter enarratis.

§. XII.

In siti depravata ob aliam causam junctam, potum homines appetunt inconsuetum: e. g. sanguinem, acetum, aquam salsam &c. Hanc autem Clar. RIVERIUS (o) & alii ad picam s. malaciam rejiciunt. De hac agere igitur supersedeo.

§. XIII.

Sitis imminuta s. naturali minor haud valde frequens, neque ordinariò ut symptoma urgens, molestum, aut periculosum, sui vel ablationem, vel mitigationem indicat. Causa ejus proxima utplurimum in abundantia humidi naturalis partium supra commemoratarum, aut totius corporis quærenda est. Temperamentum, aër, victus humidus, multa quies, dispositio hæreditaria, longa assuetudo &c. ut causæ antecedentes & prædisponentes considerari possunt. Quarum ultima: quantum possit efficere, incredibile dictu est. Nonnunquam enim observamus homines, qui a longo tempore parcè bibere assueti, in morbos conjecti, tamen, urgente quamvis majore siti, vix eo adigi possunt, ut majorem potus copiam ingerant.

§. XIV.

Abolita sitis s. adipsia vix unquam nisi in morbis acutis, vel in melancholia & mania, quando mente alienati sunt homines, occurrit. Scire autem oportet, in morbis acutis &c. proprie sitis causam in corpore non abesse, sed sensum hunc delirio esse turbatum, sive animum alienatum ac delirantem potum non desiderare.

§. XV.

(o) In Comp. med. pract. p. m. 310.

§. XV.

Diagnosin sitis Clar. RIVERIUS (p) existimat sensibus ipsis satis superque patere. Sed hoc mihi non videtur sufficere. Facile enim falli possumus. Aliquando in morbis, ut supra diximus, præsente sitis causa proxima, æger tamen ob delirium, aut insipientiam ejus non est conscius, aut parcæ potioni assuetus, aut aliam forte ob rationem se sitire negat, vel etiam, nulla sitis causa præsente, aut prægressa ob læsam forte imaginationem, aut malitiam se sitire affirmat. Quare hac de re ita sentio: Cum a parte corporis perspecta fuerit oris, faucium, gulæ &c. siccitas & a parte animi respondeat desiderium potus, signa hæc erunt sitis diagnostica. Una autem vel plures causarum sitis antecedentium, corpori extrinsecus, vel intus applicatæ & cognitæ signum constituunt anemnisticum. Quando eas videmus applicari, sitim mox secuturam præsagire possumus. Neque vero crebra aut multa potatio signum semper est sitis & siccitatis, aut acrimoniæ &c. præsentis. Non enim infrequens est potatio sine manifesta oris, linguæ reliquarumque partium siccitate &c. Ita sæpe in prandio & in cœna vel & in consortio bibimus ob consuetudinem magis, quam ob sitim atque necessitatem. Sed de hac re plura addere superfluum foret.

§. XVI.

In prognosi tenendum est, sitim naturalem, post consuetam abstinentiam, appetitus cibi instar, recurrentem, vel & a causis externis non nimis vehementibus ortam, salubrem ac bonæ notæ esse atque a potu salubri assumto

(p) loc. cit.

assumto facile depelli. At sitis præternaturalis, a causis variis, ut supra vidimus, in morbis acutis febrilibus, aut etiam in quibusdam chronicis producta, cum aliis quoque signis prognosticis, majus vel minus periculum notat, pro varietate causarum & morborum; in quibus vario gradu urget. Hujus prognosis variæ exempla nonnulla HIPPOCRATES habet: Sect. IV. Aph. 48. seq. leguntur: In non intermittentibus febribus, si externa quidem frigida sint, interna vero urantur & sitim habeant, lethale. Prædict. Libr. I. §. 57. In præcipitibus malis, si sitis temerè ac præter rationem cesset, malo est. Præn. autem 102. Vehementem sitim esse in morbis pulmonum. Porro Aphor. Sect. V. §. 27. Quibus bibendi appetentiæ noctu, iis valde sitientibus, si obdormierint, bonum. Cæterum sitis vehemens, perpetua, inextinguibilis in morbis inter ea signa referri potest, quæ nunc densitatem & immeabilitatem sanguinis & humorum, nunc acrimoniam alcalinam, biliosam, muriaticam præsentem (q), aut venenum assumtum, vel morbum aliquem prægressum demonstrant. Memorabile exemplum sitis inexplebilis puellæ rusticæ, post febrem tertianam obortæ, legitur in Selector. physico-œconomicor. Tom. I. Stuttgard. 1752. edit. p. m. 233. Puella hæc singulis viginti quatuor horis, per plures annos, sine incommodo 24. libras aquæ bibisse dicitur.

§. XVII.

Sitim naturalem nemo non sine medici consilio explere scit & si omni tempore duntaxat potus conducibilis copiam sufficientem ingereret, optime sibi consuleret. At in hoc iliacos intra muros peccatur & extra. Quid enim

(q) BOERHAAV. Inst. med. §. m. 112. 114. 115.

enim est frequentius excessu potus vini, cerevisiæ aliorumque liquidorum spirituosorum quorum nimia ingestio ebrietatem & frequens vinolentia paulatim animi & corporis vitia producere solet. Veteres hinc jam dixere: Vino forma perit, vino corrumpitur ætas. Scite quoque SENECA ait: Omne vitium ebrietas incendit & detegit (r). Et quemadmodum, uti Idem alio loco inquit, copia ciborum subtilitas animi impeditur, ita non minus nimio vini, aut aliorum liquidorum spirituosorum usu animi præsentia & motus turbantur. Clariss D. LOBB. in tractat. de cur. calc. & podagr. ope alim. inquit: Consuetudo vinum ad excessum usque bibendi perniciosa valde est. Extremum hoc fugiendum est semper. Neque vero solum in ejus, quod assumitur, excessu, sed etiam in tempore & genere &c. peccatur. Ita qui sæpe sitim depellere solent potionibus non ad corporis sui, aut temporis circumstantias accommodatis sibi haud parva incommoda dare observantur. Sunt, quibus æstivo imprimis tempore potus valde frigidus nocet. Exempla nobis sistunt SCHENKIUS (s) & FR. HOFFMANNUS (t) Ex vini, aut cerevisiæ generosioris potu homines calido temperamento subinde male habere observantur. Haustum cerevisiæ in non assuetis quandoque stranguriam producere nemo ignorat. Tempore vindemiæ mustum largiter haustum in multis choleram vel diarrhæam excitat. Et sic aliis alia vel usu intempestivo, vel generis natura mala fieri possunt. Felix igitur est, qui opportuno quoque tempore nec plus, nec minus justo bibit potioneque maxime salubri uti potest. Hoc namque plurimum confert ad sanitatis conservationem.

C §. XVIII.

(r) In Epist. (s) Obs. med. libr. VII. de morte glacie ex vino haust. (t) Med. Rat. syst. cap. de hydrop. a frig. pot. Obs. V.

§. XVIII.

Proximum nunc eſt, ut de remediis dicamus, quibus ſitim in morbis nimiam, quantum poſſibile eſt, ſedare aut mitigare conamur. Hæc quippe non ſolum in morbis acutis & inflammatoriis, ſed etiam in nonnullis chronicis, ut hydrope, diabete &c. medicis multum negotii faceſſere ſolet. Igitur ad curationem ejus requiritur ſublatio, vel imminutio cauſæ. Hanc autem mitigare, vel paulatim depellere poſſunt humectantia, diluentia, attenuantia, reſolventia, temperantia, refrigerantia interna externaque. Ex hisce autem in quovis caſu cauſis morbi ſimul maxime oppoſita ſunt eligenda, habita quoque ratione ætatis, ſexus, conſuetudinis reliquarumque circumſtantiarum antea jam commemoratarum. Quod ſi cauſa ſiccitatis & viſciditatis in ore, faucibus &c. fuerit denſitas ſanguinis inflammatoria, ut in pleuritide, phrenitide, peripneumonia, artritide aliisque morbis inflamm. in quibus fere ſemper lingua valde ſicca & alba cum inſidente muco tenaci, viſcido, aut cuticula quaſi alba vel ſubflaveſcente conſpicitur. Aqua tunc fontana, optima & leviſſima, ad ſitim leniendam pro potu ordinario, aliis omnibus præferenda eſt. Ubi autem hæc, ſicut multis in regionibus, deficit, ſubſtitui huic poteſt aqua pluviatilis, fluviatilis, vel etiam putealis coctione, aut alio modo optime depurata & ſalubris reddita. In Helvetia paſſim multi utuntur aqua illa decantata fabarienſi, quæ eſt leviſſima & diutiſſime in vitris clauſis incorrupta manet. Alii laudant aquam fontanam, menſe Martio, in amplis patinis congelatam ac poſtea in capacibus lagenis vitreis ad ſolem deſtillatam, quæ quoque ſine corruptione aſſervari poteſt & levis eſſe creditur. Qui aqua ſimpl. non contenti ſunt, bibere poſſunt ptiſanam dilutam valde, ex radicibus graminis & ſcorzoneræ, aut acetoſæ & fragariæ, aut hordeo paululum toſto,

sto, aut rasura eboris & C. C. cum passulis minoribus aut simil. aliis cum aqua leviter coctis. Nonnullis ægris acceptum est infusum corticis recentis mal. citr. cum tantillo sacchari edulcor. Aliis infusum cerasorum acidodulcium siccator. aut aqua fontana, cui injecta fuerit crustula panis tosti, aut similis alius potus. Ex ejusmodi decocto, infuso, aqua simpl. fontan. vel destill. v. g. lactuc. endiv. portulac. cichor. viol. &c. cum syrup. quodam subacid. grat. uti est limon. e succ. citr. berber. rib. acetos. acetosell. vel etiam non acid. uti capill. ven. semperv. maj. flor. Bell. m. Violar. &c. Julapia parata, aut emulsiones cum semin. IV. frigid. præpar. per intervalla ægris quoque propinari possunt. Pro lubitu in quibusdam casibus, diluentibus atque temperantibus hisce potionibus immiscere possumus tantillum spiritus nitri dulcis, aut nitri crystall. Hominibus lacti & lacticiniis assuetis, serum lactis recens, aut lac ebutyratum subinde lenimen affert. In nonnullis circumstantiis ægrorum sitientium hydrogal. var. præberi possunt. Alias in febribus neque lac recens, neque vinum, neque cerevisiam tuto ægrotis commendare possumus. Infusum vero Thee Indorum dilutum, aut flor. Viol. Bellid. min. &c. modice calidum, affatim sed lente haustum non erit sine levamine. E re autem est, quælibet calide potius, quam frigide in se ingurgitare, quia magis diluere & emollire solent. Quod forte CICERO jam subodoratus est & sequenti modo declarare voluit; Sæpe, inquit, homines ægri morbo gravi cum æstu febrique jactantur, si aquam gelidam biberint, primo relevari videntur, deinde multo gravius vehementiusque affictuntur (u). In aliis morbis, nulla inflammatione, aut febre urgente, neque alia circumstantia repugnante, vino, aut cerevisiæ, aut potui ex pomis vel pyris præparato assuetis hominibus, vinum aliquod mitius

(u) Orat. in H. Catil. I.

mitius aqua dilutum, vel cerevisiam tenuem, vel potum ex pomis modice bibendum indulgere possumus. Juscula cum acetosa, endivia, lactuca cocta & cum contusis semin. frigid. expressa præter potum modo commendatum quoque conducere possunt. Nitrum in pulvere diaphoretico-temperante ad reliquas morbi febrilis circumstantias accommodato, in mixtura, aut cum aqua non erit sine effectu. Extus juvat os, fauces, nares, crebro aqua tepida, nitrosa, acidula &c. colluere ejusque vapore ex vasculo, aut linteis spongiisve perpetim humectatis & applicatis ori ac naribus perpetim fovere. Clysteres quoque frequenter injici possunt, ni diarrhœa, aut aliud quid obstet, ex aqua tepida, vel sero lactis & nitro. Rotulæ berber, vel trochisci ex nitro, saccharo & mucilag. gummi Tragac. facti, vel segmenta mali citr. rec. cum sacchar. vel pom. acido-dulc. aut alii fructus aciduli sacch. condit. vel cocti a nonnullis sæpius in ore detineri solent. Alii autem hæc & similia cito respuunt. Horum loco æstivo tempore, folia recent. acetosæ, vel trifol. acetos. adhiberi possunt. In sanguineis & plethoricis hominibus hæc remedia efficaciora redduntur, venæsectione ab initio morbi adhibita.

§. XIX.

In morbis ab acrimonia alcalina, cibi, potus, medicamenta, ad sitim levandam, similia hactenus recensitis conducunt; nempe præter aquosa, diluentia, acescentia subacida, & saponacea, quæ, sicut in reliquis casibus, ad cujuslibet ægri ætatem, temperamentum, consuetudinem &c. accommodari debent.

§. XX.

Eadem quoque postulat ad sitim sedandum, acrimonia salina & aromatica, abstinentiam videlicet ab usu cibi

bi multo ſale, aut aromate conditi, nec non potus ſpirituoſi, acris, calefacientis &c. Igitur aquoſa, diluentia, ſaponacea in alimentis, potu & medicamentis aſſumenda ſunt.

§. XXI.

Sitis ab evacuationibus nimiis, in variis morbis, orta exigit præter aquoſa, diluentia utplurimum analeptica & reficientia, quæ in julapiis, emulſionibus, mixturis, tincturis, juſculis, gelatinis &c. propinari poſſunt. Hæc enim paulatim evacuat. nim. compeſcere, vires reficere & ſitim ſimul levare poſſunt. Opportet autem ea eligere, quæ quantum fieri poteſt, ſimul cauſis diverſarum evacuationum in variis morbis, oppoſita ſunt & quæ effectum reliquorum ad morbi curationem adhibitorum auxiliorum impedire nequeunt. Sitis autem in fine purgationis fortioris, ſine febre, aut alio morbo accedens facilè potu conſueto lentè ingeſto reſtinguitur. Hauſtulus aquæ ſubfrigidæ, aut vini bonæ notæ &c. multis nectar erit.

§. XXII.

Ad ſitim in hydrope urgentem commendari poteſt potus lympham viſcidam diluens, incidens, attenuans ac diureſin promovens. Aqua fontana puriſſima, vinum valde dilutum cum rafano ruſticano infuſ. Decocta, infuſa varia urinæ ſecretionem juvantia, ſed grata guſtatui & in quibusdam caſibus acrimoniæ alcalinæ conjunct. potus quoque ſubacidi conducunt. Clariſſ. FERNELIUS (w) commendat vinum album, tenue ſed vinoſum tamen, niſi morbus ſit a cauſa calida. Acidulæ etiam in nonnullis caſibus forte nihil nocerent. Reſpiciendum autem in omni caſu ad cauſam morbi, hujus & ægri reliquas cir-

(w) Path. libr. VI. cap. VIII.

circumstantias. Eum vero recte curaturum esse, CELSUS inquit, quem prima origo causæ non fefellerit. Hac enim & reliquis modo dictis rite cognitis non difficile est ægro optimum quemque potum, partim ad sitim, partim ad morbum sanandum, vel saltem mitigandum, quantum possibile est, commendare. Sæpe namque in hoc morbo, quod OVIDIUS jam in ejus comparatione cum avaritia, notavit:

> Sic quibus intumuit suffusa venter ab unda,
> Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ (x).

Quo plus autem ægri bibunt, urina non procedente, eo magis tumor aliaque symptomata increscunt. Hinc sæpius Medici sitim tantummodo fallere conantur variis humidantibus in ore detentis.

§. XXIII.

Inter symptomata sevissima a veneno assumto aut applicato excitata, sitis quoque fere ordinariò observatur inexplebilis. Quo in casu aqua quævis levissima, pro potu largiter haurienda est. Pro varia dein veneni natura, vel lac, vel serum lactis, vel emulsiones, julapia, decocta, infusa varia interponi possunt, quibus veneni indoles vel obtundi, vel corrigi, vel ipsum venenum e corpore expelli possit.

§. XXIV.

Ad sitim in peste & aliis morbis acutis, malignis, mitigandam, pro re nata potus diluentes, aquosos, subacidos plerique Medicorum ægris præbere solent. Diligentiss. atque Exper. olim Amstelodam. Medicus & Profess. ISBR. DE DIEMERBROECK peste correptis pro potu concessit cerevisiam claram, tenuem & mediocrem ex optima aqua confectam, ut & vinum tenue modice sumtum, vel solum, vel potius admisto succo citri recens expresso, vel impo-

(x) Fast. libr. I.


imposito frusto pomi citr. vel aurant. vel granat. acid. (y) Alio loco iterum hæc habet: sitim, inquit, magnam diu perferre omnino prohibuimus. Plerisque pro potu dedimus cerevisiam tenuem, hæc enim est instar decocti hordei fermentati, vel solum, vel admistis aliquot olei sulphuris, aut vitrioli guttulis; aliis decoctum hordei simplex cum succo citri; aliis julepos refriger. ac malignitati resistentes, ex aquis stillat. acetos. scab. card. ben. cichor. borrag. cum succo citr. & syr. granat. acid. vel acetos. citr. &c. Aliis aquam fontan. puriss. solam, vel cum pauc. succ. citr. concessimus. Sitim nimiam sæpe fallere jussimus cum frustulo pom. citr. in ore detento, vel paul. mastic. vel cum pauxillo pulp. tamarind. vel cum foliis sedi major. quæ detracta exteriori pellicula & aquæ frigid. immacerata, linguæ imponebantur. &c. (z).

Hisce nunc, si tibi L. B. non satis accurate docere videor, quibusnam potûs generibus sitientibus, in variis circumstantiis occurrere conveniat, meliori tuo judicio, experientia atque benevolentia, defectum, ut suppleas erroresque amice corrigas, iterum atque iterum rogo.

F I N I S.

(y) Libr. de peste II. cap. VI. (z) Libr. III. cap. II.





Hic dies vere mihi festus-

HORAT. Carm. libr. III. Od. 14.

Aus voller hüpfender Empfindung
entglüht mein Herz, das dir geweyht,
und singt mit schwellender Entzündung
ein Lied bey dieser Festlichkeit.
Wem winken diese Ehrenstufen -
wem diese Würde, diese Zier -
wem wird so jubelnd zugerufen -
und wen erblick ich freudig hier?

* * *

Nur fort! dir wirst in frohen Chören
die Weysheit selbst den Purpur an.
Du -- du befolgtest ihre Lehren,
betritt nun kühn die Ehrenbahn.
Sie will dich heute stolz erheben
dir winkt Verdienst und dauernd Glück,
sie siehet dich gedoppelt leben
und lächelt mit zufriednem Blick.

Hygäa

* * *

Hygäa hört ich selbsten rufen
in dir sey auch ihr Wunsch erfüllt,
sieh die verdienten Ehrenstufen
aus welchen grössers Glücke quillt;
Durch die dein Ruhm stäts höher steiget
der Musen Liebling -- würd'ger Sohn!
von dem noch einst ein Enkel zeuget
diß -- diß sey deines Fleisses Lohn.

* * *

O Tag voll Wonne -- voll Vergnügen!
o längst gewünschter froher Tag!
heut -- heute soll nur Freude siegen
die keine Runzeln leiden mag.
Selbst finstre Gäste finstrer Seelen
soll dieses Tages Fey'r zerstreun,
sie mögen sich sonst immer quälen,
nur heut soll alles freudig seyn.

Aus wahrer Freundschaft beygesezt von

M. Sebastian Spörlin.

* * *

Cum Tibi Doctoris Medici tradantur honores
MARTINE Studii præmia digna tui:
Quid Tibi, cum multis communia gaudia testans,
Et jungens aliis sic mea vota, precer?
Vive diu, longumque, tuo Patri modo in isthoc
Dissimilis, quem mors heu! cita sustulerat.

Sic fovet ex animo
FRIDOL. STEGER,
Medic. & Pharmac. Cultor,
Helvet. Glaronens.

